VINDICIAE RONSARDIANAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM MARBVRGENSIVM
ORDINIS

AVCTORITATE ET CONSENSV

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

PVBLICE DEFENDET

ROBERTVS WEIL
NASSOVIVS.

MARBVRGI-CATTORVM.
TYPIS ACADEMICIS N. G. ELWERTI.
MDCCCLXX.

PARENTIBVS CARISSIMIS

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AVCTOR.

Inter omnes fere Francogalliae poetas nullus est, qui magis gloriae inconstantiam expertus sit, quam Petrus Ronsardus. Qui quum ab aequalibus primus omnium gentium poeta celebratus et poesis Francogallicae auctor creatorque nominatus sit, a posteris ex poetarum numero reclusus et vehementer inculpatus est, quod poesis Francogallicae dignitatem perdidisset et corrupisset. Reges et reginae, principes nobilesque, viri docti et artifices, omnes loco et ordine et ingenio et scientia insignes summa reverentia eum vivum prosecuti sunt. Carolus IX amicitiae vinculo cum eo conjunctus fuit, eumque aliquando, ut, quo benevolo in eum animo esset, re probaret, invitasse dicitur, juxta se in sede regia consideret. Elisabetha, Britannorum regina, gemmam pretiosissimam ei dono dedit, et Maria Stuart, quae ejus carmina magni aestimabat, per virum nobilem quendam, qui reginae erat ab epistolis, abacum ei misit argenteum magnificumque, cui inscriptum erat: »A Ronsard, l'Apollon de la source des Muses«. Academia »des jeux floraux« Tolosana, quae alios poetas ejusdem temporis rosa agresti aurea, églantine quae vocabatur, ornabat, Ronsardo donavit statuam argenteam solidam declarans eum poetarum principem »prince des poètes«. His autem honoribus graviores sunt laudes Scaligeri, Pasquieri, Turnebi, Mureti, l'Hospitalii, quae nomina totam auctoritatis illorum virorum vim in memoriam revocant. Thuanus cladem illam, quam Francogalli apud Papiam acceperunt, resartam ait ortu Ronsardi. Passeratus unam Ronsardi odarum plus valere contendit, quam totum ducatum Milanum; Robertus Stephanus simul cum Ronsardo poesim Francogallicam natam esse judicat, simulque eo mortuo periisse. Desportes, Bertaud, Regnier Ron-

sardum suum magistrum et doctorem concelebrant, cui soli, quodcunque ipsi composuerint, debeant. Montaigne autem Ronsardum poesim Francogallicam ad summum gloriae fastigium adduxisse dicit. Aliorum sententias ut praetereamus, haec tantum Pasquieri verba laudare liceat: »Nul alors ne mettait la main à la plume, qui ne le célébrât par ses vers. Sitôt que des jeunes gens s'étaient frottés à sa robe, ils se faisaient accroire d'être devenus poètes.

Quid? Quod non solum Francogalli, sed etiam aliarum terrarum[1]) viri doctissimi Ronsardum valde aestimaverunt et admirati sunt? Petrus Victorius quidem, Petrus Barga, Olaus Borrichius, Joannes Vossius in ejus laude consentiunt et Spero Speronius carmine lingua italica conscripto eum celebravit. Spencer studio operum devinctus tenebatur; Tasso Lutetiam Parisiorum quum venisset Ronsardi de opere suo judicium exploravit, Opitz denique non minore pretio habuit eum, quam antiquitatis poetas clarissimos, atque multis locis eum imitatus est. Tum forte, XX annis post Ronsardi mortem, homo nobilis quidam, quem nunc inter summos Francogalliae poetas habent, acerbissime his fere verbis inclamat Ronsardi sectatores: Deum falsum adhuc coluistis; me colatis, qui bonarum artium deus verus exstiti, me, cujus gloria aeterna erit. Cui novo Apollini quam celeriter aequales confisi sint, quamvis pertinaciter pauci Ronsardi fideles ei oppugnarent, multorum scriptorum sententiae plane demonstrant. Balzacius Ronsardum nihil esse, ait, nisi

---

1) Oraison funèbre sur la mort de Mr. de Ronsard par J. Du Peron, Lecteur de la Chambre du Roy 1586: „C'est Ronsard, qui a fait que les autres provinces ont cessé de l'estimer [notre langue] barbare, et se sont rendues curieuses de l'approuver et de l'enseigner et qu'aujourd' huy on en tient escole jusques en la Moravie, jusques en la Pologne et jusques à Dansich, où les livres de Ronsard se lisent publiquement". cf. Branthôme, l. c. in C. VIII pag. 38 editionis Ronsardi operum a Blanchemainio emissae, quam in commentatione nostra sequimur: Oeuvres complètes de P. de Ronsard, Nouvelle édition Publiée sur les textes les plus anciens Avec les Variantes et des Notes par M. Prosper Blanchemain 8. voll. Paris 1857—1867.

»le commencement et la matière d'un poète«. Arnauld dicit: »C'est un deshónneur à notre nation d'avoir estimé les pitoyables poésies de Ronsard«. La Monnoye: »Je crois qu'il serait très-difficile de rencontrer une personne, qui osât se vanter d'avoir les oeuvres de Ronsard et de les lire«. Boileau denique versibus illis iterum iterumque alia ab aliis forma citatis vehementissima eum plaga percellit:

»Ronsard, qui le suivit, par une autre méthode,
»Réglant tout, brouilla tout, fit un art à sa mode,
»Et toutefois long temps eut un heureux destin.
»Mais sa muse, en français parlant grec et latin,
»Vit dans l'âge suivant, par un retour grotesque,
»Tomber de res grands mots le faste pédantesque.
»Ce poète orgueilleux, trébuché de si haut,
»Rendit plus retenus Desportes et Bertaut«.

Ab eo tempore Ronsardi opera non jam eduntur, crescit in dies numerus criticorum judicantium non legentium; simulque cum operum ejus notitia [1]) pereunt quae de vita ejus tradita fuerant,

1) G. Stolle Anleitung zur Historie der Gelehrsamkeit, Jena 1727: „Ich finde, dass er (Ronsard) zuweilen nicht immer geschickt gewesen ist etwas taugliches zu poetisiren, sondern dass er nur dann und wann einen solchen raptum oder furorem bekommen, der über 3 oder 4 Tage nicht gedauert, da er hingegen oft 6 Monate lang nichts zuwege bringen können. Man sagt auch, dass er nach der Mode der damaligen Poeten etwas übel gehöret. So hoch er zu seiner Zeit geachtet, so gering hält man ihn heutzutag. Das macht, er war der erste gute Poete unter den Franzosen. Und wie sich die Sprache seit der Zeit sehr geändert und man den numerum poeticum und die delicatesse besser studirt, so kann er freilich nicht mehr einer der besten Tichter heissen. Inzwischen hat es ihm doch an einem poetischen Geiste mit nichten gefehlet. Seine hymni und oden werden vor anderen seiner Gedichte estimiret. Man hat sonderlich an ihm ausgesetzt, dass er allzuviel aus der heidnischen Mythologie in seine Verse gebracht, die er doch meist vor Ungelehrte geschrieben. Seine debauchen haben ihm die Gicht zugezogen. Die Wollust mag sein Hauptaffekt gewesen sein, wie er denn bis an sein Ende verliebte Verse gemacht. Wiewohl seine letzte Liebe bescheiden und vernünftig gewesen sein soll. Es hat ihm auch nicht an Geize gefehlet“.

Similiter: Menken, Compendiöses Gelehrten-Lexikon. Leipzig 1715.

jam vero etiam de moribus ejus alii aliter referunt, neque poetam solum, sed etiam hominem insectantur calumnianturque. Quod usque ad saeculum XIX continuant, quemadmodum Nisard: »Boileau, inquit, a prononcé, il ne reste plus qu'à donner les motifs de ce jugement« (Hist. d. l. litt. franç.) et Vaultier usque eo progressus est, ut diceret: »Dénué de toute inspiration réelle, imitant toujours, même ce qu'il n'approuve pas, Ronsard n'a traité la poésie que comme un métier de convention toute factice et n'a jamais rencontré le naturel et le vrai que par hasard«. (Mémoires de l'Académie de Caen 1836). Ita per duo saecula [1]) non solum contemptu, sed quod pejus est, oblivione miserrima dehonestatus est. Tum denique eodem fere tempore, quo nonnulli poetae in modum poesis bene liberae saeculi XVI jus suum, quamquam timide, tenebant et audacius dicebant, eodem tempore etiam Boileavii auctoritas ejusque de Ronsardo judicium in quaestionem vocantur, evolvuntur Ronsardi opera, ejusque Musam nec latine nec graece loqui inveniunt viri docti, sed francogallice [2]), ejusque genus dicendi magnum variarum sententiarum et verborum thesaurum continere, quem post sermonis consuetudinem a Malherbio inductam, nimis diu neglexerant. Sed haec hactenus. Nostrum sit hac commentatione pro viribus demonstrare, de Ronsardo et poeta et homine aequius et probius judicandum esse, quam in universum factum est.

Priusquam vero ad ipsum Ronsardum transeamus, demonstrandum est, poesis francogallica qualis fuerit ante ejus tempora; unde plane elucebit, quam injuste judicaverit La Bruyère dicens: »Marot par son tour et par son stile semble avoir écrit depuis Ronsard«. Poesis francogallica s. XVI ante Ronsardi tempora, ut uno verbo dicam, nihil aliud est nisi »un élégant

---

1) Adn. Primum Annalium poeticorum auctores, quos secuti sunt Chaudon et Delaudine in libro qui inscribitur: „Dictionnaire historique“ 1804 audent dicere: „Tranchons le mot, Ronsard avait du génie“.

2) Dubos, Reflex. crit. s. l. Poësie et la Peinture. Dresden 1760. „Il est vrai, que le langage de Ronsard n'est pas du français; mais on ne pensait pas alors qu'il fut possible d'écrire à la fois poëtiquement et correctement dans notre langue“.

badinage. Ut Maroto poesis lusus erat et oblectatio quaedam in suum et aliorum usum, ita saepius etiam adjumentum, quo, quae bona vel mala appetebat, consequeretur. De vera poesis arte et dignitate ne suspicionem quidem habebat, et musa ejus munera famulae cubiculariae, ut ita dicam, subire debebat. Quanto melius rex Carolus IX scribens t. VIII p. 55: »Tous deux également nous portons des couronnes, Mais roy, je la reçus, poète, tu la donnes« et alio loco (t. III p. 261; cf. t. III p. 255, 257). »Je puis donner la mort, toi l'immortalité«. Maroti carmina omnia fere ex occasione scripta sunt, pleraque originem suam debent variis vitae ejus turbulentae vicissitudinibus. At ne quis credat, his carminibus vim eam inesse, quae tali vitae respondeat. Deest ubique fere animi inflammatio et afflatus quidam quasi furoris. Quare timendum non est, ne Marotus in exilio et, quo tempore inimici eum insectantur miserabiles questus effundat; nulla re gravius commovetur; immo potius gravissimis temporibus jocos agitare non desinit. Neque magis amor vel honores insoliti gaudii sonos dulces excitant. Jam, ut brevis sim, nihil aliud fere scripsit nisi epistolas, epigrammata, elegias et carmina rondeaux et chansons quae vocantur. Cur fines majores non sequatur Marot ipse scribit:

»Tu dis Prélat, Marot est paresseux,
»De lui ne puis quelque grand oeuvre voir:
»Fais tant qu'il ait biens semblables à ceux
»Que Mécenas à Maro fit avoir,
»Ou moins encor lors fera son devoir
»D'escrire vers en grand nombre et haut stile.

Sed caussa, cur majora opera conficere non posset Marot, animi vivacitas fuit. Scripsit ex opportunitate et levioribus tantum rebus operam dedit. Audiamus Baylium (Dict. hist. s. v. Marot.: »Ce qu'il y a d'étrange, c'est que les talents de son esprit, son sel, le tour agréable, vif, aisé, ingénieux de sa muse ne se font jamais sentir avec plus de distinction que lorsqu'il traite un sujet sale«. Multi quidem aliter dicunt, sed, ut verum dicam antiquitas non multum profuit Maroto. Tantum abest, ut illa sacra antiquorum poetarum flamma incendatur, ut ea ad magnas

cogitationes ne incalescat quidem. Criticorum qui in contrariam partem judicant, unum laudo, St. Beuvium (Tableau d. l. Poésie Franç. an XVI S. 1828): »En restant disciple de nos vieux poètes français, inquit, il l'était devenu peu à peu des anciens grecs et latins et il les traduisait quelquefois«. Alio loco: »L'épigramme, l'élégie, l'éclogue, le sonnet, la satire et l'étude des chefs d'oeuvres anciens appartenaient déjà à Marot, à St. Gelais et à leur école«. Sed Ronsardi merita ut rectius intelligamus, qui his verbis insunt errores emendandi sunt. Marotum lingua Graeca doctum fuisse, verisimile non est, eumque literas latinas parum percepisse, hi loci plane ostendunt. »Quamquam equidem vereor, ut, absurdum videatur inter litteratos illum collocare, cui defuerunt litterae«. Alio loco: »Latinae quidem linguae non ita magnum habebat usum, sed doctorum hominum consuetudine multum profecit«. (Sleidanus l. XV). Ipse Marot: »Je jettai l'oeuil, inquit, sur les livres latins, dont la gravité des sentences et le plaisir de la lecture (si peu que je y comprins) m'ont espris mes esprits«. (Oeuvres de Cl. Marot Valet. de Chambre de Français I etc. etc. La Haye 1731. t. IV. p. 9).

Neque stare potest sententia illorum, qui Marotum antiquorum poetarum principes exemplaria proposuisse, ipsumque iis operam dedisse contendunt. Primum ad antiquorum poetarum principes animum direxisse, eosque quasi exemplaria suis aequalibus proposuisse, eam laudem imprimis Ronsardo tribuere oportet, idque meritorum non esse minimum docebimus infra. Marot Joannis de Meung [1]) et Villoni vestigiis ingreditur. Eaedem ei, quae praedecessoribus ejus laudes tribuendae sunt et haud scio an majores. Sententiarum crebritate non excellit, cogitationumque orbi et sermo et versus respondent, neque hic nova excogitavit, nisi forte caesuram excipias, quam Joannis le Maire de Belges consilio emendavit. Itaque injuria Boileau contendit »il montra pour rimer des chemins tout nouveaux«.

---

1) Marot ejus fabulam Romanensem „Roman de la Rose“ bis edidit; anno 1526 in custodia attentus retractavit in locum verborum absoletorum nova supponens.

Aliorum poetarum, qui Marotum secuti sunt, nullus nisi St. Gelais optimus discipulorum ejus hic commemorandus est. Mellin de St. Gelais interiorem quidem antiquitatis cognitionem consecutus erat, cui in Italia operam dederat. At quae magistrum ejus laudes ornant iis discipulus non excellit. Bene descripsit eum Pasquier verbis his: »St. Gelais produisait des petites fleurs et non fruits d'aucunne durée, c'étaient des mignardises, qui couraient de fois à d'autres par les mains des courtisans et dames de cour«. Ita in dies magis sentiebatur, qua Maroti schola esset imbecillitate, vanitate, inopia. Aliquid novum, grande et sublime desiderabant, quod dignum esset antiquitatum heredibus. His in temporibus primus Ronsard praestare studebat et pro viribus praestitit, quod undique desiderabant. Unde mirum non est, quod tantopere probatus est suis aequalibus tantaque fuit apud eos auctoritate, quanta ante eum nemo: ut saepissime in historia eum, qui primus verbis expresserit, quae omnes sentiunt et primus assequi studuerit, quae omnes desiderant, eum insolitam quandam potentiam nactum esse accepimus.

Anno 1549 vel 1550 Du Bellay proposuit novae scholae programma. Neque alienum est a re, ut satisfaciamus Ronsardo, errorem Arndi (Gesch. d. franz. Natlitt. seit der Renaissance bis zur Revolution. 1856) aliorumque refutare, qui Du Bellayum quasi caput et auctorem Plejadis, quam dicunt, intelligendum esse vult. Sunt multae caussae, quibus sententiae ejus vitiosa ratio demonstrari potest; paucas eligimus. Du Bellay Plejadi extremus et tum demum adjunctus est, quum Ronsardus sententias postea in libro »l'Illustration« qui inscribitur explicatas jam dudum ad effectum adduxerat, unde apparet, Ronsardum etiam sine Du Bellayo poesim commutaturum fuisse. Porro notum est, Du Bellayum odas suas secundum Ronsardi clam ei surreptas [1]) conformasse. Quid denique judicandum est de illo loco, quo Ronsard Du Bellayum sic loquentem facit: t. VII p. 52:

1) Binet „vie de Ronsard“ in Rons. op. ed. in fol. 1623 Du Bellay voulut s'essayer aux Odes sur l'invention et crayon de celles de Ronsard, qu'il trouva moyen de tirer et de voir sans son sçu; il composa quelques-

»Qui premier me poussas et me formas la voix
»A célébrer l'honneur du langage Français«.

De libro illo »Illustration« qui inscribitur praeter cogitationum veritatem et pulcritudinem, praeter eloquentiam et amorem patriae, quo cogitationes exprimuntur nihil aliud dicendum est, nisi quod nihil in eo inest, quo eluceat, Ronsardum ejusque scholam in locum poesis patriae propriae antiquitatem supponere voluisse. St.-Marc Girardin (Tabl. d. l. litt. fr. au XVI S.) »Ils entreprirent, inquit, de tout changer«. Bouterweck (Gesch. d. Poesie u. Bereds. 5 Bd.) »Sie suchten die Sprache in ihren wesentlichen Theilen umzuformen«. Hallam (Introduction to the Literature of Europe) »He fancied that he was born to mould the speech of his fathers into new forms«. Quae sententia quam falsa sit ex ipsis Ronsardi operibus elucet. Non loquitur nisi de lingua augenda et locupletanda, suadetque, ut videant, ne antiqua sermonis patrii novis contradicant. »Non qu'il faille ignorer, inquit, les langues étrangères, je te conseille de les savoir parfaitement et d'elles comme d'un vieil trésor trouvé sous terre enrichir ta propre nation«. Alio loco: »Davantage je te veux bien encourager de prendre la sage hardiesse d'inventer des vocables nouveaux, pourvu qu'ils soient moulez et façonnez sus un patron déjà receu du peuple. Il est fort difficile d'escrire bien en notre longue, si elle n'est enrichie«. Alterum sententiae meae argumentum id esse censeo, quod Ronsard praedecessorum suorum laudes magni aestimabat eaque, quibus eminuerant servare studebat, quam ob rem mirum mihi videtur, quo nisus Arnd dicere potuerit: »Ronsard fing damit an, die Meinungen und Vorschriften Du Bellays in's Werk zu setzen, indem er für die Anhänger der früheren Dichterschulen,

---

unes, les quelles avec quelques sonnets sans mot dire, pensant prevenir la renommée de Ronsard, il mit en lumière sous le nom de „Recueil de Poésie" qui enjandra une raisonnable jalousie contre du Bellay jusques à intenter action contre lui pour le recouvrement de ses papiers, les quels ayant retiré par droit non seulement ils quittèrent leur querelle, mais Ronsard ayant incité Bellay à continuer ses Odes, redoublèrent leur amitié".

besonders für die Hof- und Gesellschaftspoesie Marots und St. Gelais die grösste Geringschätzung zeigte und ausdrücklich die Gemeinschaft mit ihnen als Zunftgenossen zurückwies«. Et Mager: »Nichts glich ihrer Verachtung für ihre Vorgänger; mit ihnen beginnt erst die Poesie in Frankreich«. (Mager Gesch. d. frz. Natlitt.) Contrarium ostendunt loci hi: »la poésie était avant nous faible et languissante (j'excepte toujours Heroet, Sceve, et St. Gelais) t. II. p. 11. »Marot seule lumière en ses ans de la vulgaire poésie«. t. II. p. 10. Atque Binet scribit: »Il (Ronsard) ne laissait toutesfois d'avoir toujours en main quelques poètes français, qu'il lisait avec jugement principalement (comme lui-même m'a maintesfois raconté), un Roman de la Rose et les oeuvres de Clement Marot, les quelles il a depuis appelées comme ondit que Virgile disait de celles d'Ennie: les nettojeurs dont il tirait comme par une industrieuse laveure de riches limeures d'or«.

Quae argumenta si non sufficiant, non levissimum hoc mihi afferre videtur, quod Ronsard sicut praedecessores sui Italiae poetas imitatus est. Maroti discipuli quidem exprobrarunt ei, quod petrarchizaret, ut ita dicam, sed ipse St. Gelais carmen Sophonisbe nonnullaque Ariosti fragmenta vertit et carmen tetradecastichum (sonnet) jam ante Ronsardum poetae Francogallici assumpserant.

Vides igitur, Ronsardo propositum non fuisse in locum ejus, quod gentis Francogallicae proprium erat antiqua supponere. Quid igitur voluit? Studebat Ronsard linguae Francogallicae et poesi id suppeditare, quod ei deerat, sublimitatem dico, dignitatem, splendorem, magnificentiam. Et recte Philarète Charles »Il avait, inquit, tout à créer dans la poésie noble«. (Etudes s. l. XVI S. 1848). Ronsard persecutus est, quod etiam poetae illius aetatis, qua poesis Francogallica summum floris fastigium assecuta est, efficere volebant, id est, ut antiqua et gentilicia in unum confunderet. Nimium pro viribus humanis exigas, si credas, Ronsardum, quod sibi proposuerat, ad effectum adducere debuisse. Tenendum est ante omnia, tam brevi tempore non potuisse, ut omnes antiquitatis thesauri recte et

cognoscerentur et adhiberentur. Ad eum finem priusquam perventum erat, via longa et molesta erat absolvenda. Moles et varietas cogitationum et observationum, schematum, imaginum erat tanta, ut Ronsard ea opprimeretur, sola autem ratione, non usu praeditus, qui multis annis debetur, par non erat segregando ab sorde integrum. Tantum abest, ut, quo erat studio et ardore in emendanda patriae poesi moneretur a critico illud Horatii: »Est modus in rebus« ut a viris doctissimis in dies longius procedere cogeretur; atque potius vituperaretur, si forte caute et provide ageret. Unde factum est, ut, quod plerisque reformatoribus etiam Ronsardo obtingeret, isque ultra modum egrediens impetum redditum evocaret.

Quodsi Ronsard finem suum non prorsus assecutus est — et laus est, magnum voluisse — tamen magnopere et unice meritus est de lingua francogallica et ipsa poesi. Caussa non levissima paupertatis et inopiae, quam exhibebat lingua Francogallica Ronsardi temporibus est ea, quod, qui eximio erant ingenio non vernacula, sed latina lingua utebantur in cogitationibus litteris mandandis. Ad emendandum igitur linguam francogallicam imprimis id appetendum erat Ronsardo, ut sermoni patrio suum honorem et auctoritatem redderet et usum linguae latinae quam angustissimis finibus includeret. Et profecto nemo et re et consilio plus contulit ad commutandam linguam latinam quam Ronsard noster. Loci, quibus sermonis patrii usum suis commendat, satis graves sunt, ut certe paucos eorum afferre juvet; sunt autem hi: »Quiconques furent les premiers, qui osèrent abandonner la langue des Anciens, pour honorer celle de leur pais, ils furent veritablement bons enfants et non ingrats citoyens«. (t. VII p. 323.) »C'est un crime de leze majesté d'abandonner le langage de son pays, vivant et florissant, pour vouloir dé terrer je ne sçay quelle cendre des anciens et abbayer les verves des trepassez. ... Comment veus-tu qu'on te lise, latineur, quand à peine lit-on Stace, Lucain, Seneque Silius et Claudian. . . O quantes-fois ay-je souhaité que les divines testes et sacrées aux muses de Josephe Scaliger, Daurat,

Pimpont, d'Emery Florent Chrestien, Passerat voulussent employer quelques heures à si honorable labeur!« etc. t. III p. 35.

Quis unquam tanto amore et ardore sermonis patrii caussam defendit? Non ignorabat Ronsardus, linguam latinam non temere immodico quodam et amore et cupidine viros doctos aetatis suae complecti, eamque non propter se ipsam sermoni patrio praeferri, sed ideo, quod lingua franco-gallica ob nimiam suam inopiam iis tantum exprimendis par erat, quae sensibus sunt subjecta iisque solis percipiuntur, non autem iis, quae sola mente sunt intelligenda. Scribit Pasquier Turnebo: »Vous estes d'avis que notre langage est trop bas pour recevoir de nobles inventions, ains seulement destiné pour le commerce de nos affaires domestiques« (Les lettres d'Estienne Pasquier. Lyon MDXCVII. ep. II 1552). Ut igitur linguae Francogallicae suum jus et honorem redderet, primum sane illis querelis non inanibus medendum erat; quod ita assequi studebat Ronsard, ut quibus lingua carebat, ei suppeditaret. Fuerunt, qui saepenumero et multis de caussis eum accusarent, at certum est, nihil saepius et injustius ei exprobratum esse, quam sermonem ejus; quarum accusationum summam quasi medullam illa Boileavii verba continent ab aliis iterum iterumque repetita. Quare supervacaneum esse videtur singulorum criticorum judicia universa hoc loco referre, nisi forte La Harpium commemorandum esse putes, cujus verba haec sunt: »C'est qu'en effet il n'y a pas quatre vers de suite qui puissent être retenus grâce à l'étrangeté de sa diction«. Nisus est Ronsard optimo jure sermonis patrii ditandi et emendandi, optimo jure dico, quum unicuique poetae sit propositum, ut pro sua parte in sermonis patrii usum aliquid conferat. Itaque certe studia ejus in emendandum patrium sermonem collata vituperanda non sunt. At dicat fortasse aliquis, Ronsardum jus suum ultra modum extendisse rationemque ejus et usum recta non fuisse. Sed perlustrantibus nobis Ronsardi opera loci permulti occurrunt, qui de ratione, quam in sermone emendando secutus est, dubitationem non admittant. Primum quidem eum nihil novi afferre voluisse videmus, quod rationi et indoli linguae francogallicae oppugnaret,

immo studuisse, ut eam quam purissimam et integerrimam servaret, quemadmodum d'Aubignio scripsit: »Il y a des vocables français, defendez les contre ces marauds qui ne tiennent pas élégant tout ce qui n'est pas écorché du latin et de l'italien. Ab Horatio assumpsisse videtur praeceptum: »Fais nouveaux mots et rappelle les antiques«.

Nec minus illud, quo in verbis novandis ratione ac modo utendum esse docet, de artis poeticae auctore monet. Audiamus ipsum: »Tu ne rejetteras point les vieux mots de nos Romans, ains les choisiras avecques meure et prudente election« (l. VII. p. 320) »tu seras très-advisé en la composition des vocables et ne les feras prodigieux, mais par bon jugement«. (t. IV. p. 34). Ad sermonem vulgarem quod attinet ad eum non recurrendum esse vult, nisi necessarium videatur, id est, si forte aliquod verbum sermonis vulgaris cogitationem quandam melius explicaret aut notionem prorsus novam exprimeret, tum quidem illud assumendum esse statuit. Quae quum ita sint, rationem Ronsardi in universum quidem rectam esse si concesseris, tamen inde non sequitur, eum hac ratione recte esse usum et Nisard fortasse jure dicit: »Un amalgame de langnes savantes et de patois provinciaux, bariolés d'italien, de grec et de latin, de mots savants et de mots de boutique, vrai pêle-mêle d'audace et d'impuissance, de stérilité et de facilité formidable, d'inexperience et de raffinement, de paresse et de labeur, qui a donné à Ronsard une sorte d'immortalité ridicule«.

Sane verum est, Ronsardum non raro rationem et institutionem suam non conservasse, quod, quo fuit studio et ardore, mirum non est, praesertim quum idem etiam aliis aliarum gentium sermonis usitati emendatoribus accidisse, non ignoremus. Neque, quod interdum peccavit, ei soli culpae est vertendum, neque ob id vitium peccata ejus et menda in falsum augere et merita ejus de lingua Francogallica addubitare et abrogare licet. Ut recte de Ronsardo ejusque meritis judicare possimus, metiri eum non debemus lingua saeculi XVII et XVIII neque requirendum est, ut normam eam sequatur, quae ejus aetate nemini erat nota: quemadmodum vituperet aliquis Fischartum

ideo, quod non eadem ratione scripsisset, qua Goethe noster. Qua re quid potest esse insanius? Neque eo minus idem illud vitium et Ronsardo et aliis scriptoribus crimini est datum — moneo de Corneillio, quem eundem in modum Voltaire vituperavit. — Modo, qui Ronsardo illud vitium objectaverunt, recordati essent illud Horatii:

»Multa renascentur, quae jam ceciderunt, cadentque,
»Quae nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
»Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi«.

Magnus verborum et figurarum numerus, quae illo tempore unusquisque nova pulcra elegentiaque habebat, postea abjectus est et exolevit. Peccare in sermone aequalibus erat »donner un soufflet à Ronsard«, quod vel maximum sit documentum, Ronsardi sermonem illo tempore non rectum solum, sed etiam comptum et elegantem visum esse. Laudare liceat St. Beuvium, cujus verba haec sunt: »La noblesse des mots dans le stile, comme celles des noms propres dans la société, est fille de l'opinion: il suffit qu'on y croie qu'elle existe: Si, au 16. siècle, chandelle n'avait rien de plus vulgaire que lumière ou flambeau; si enfariner ne présentait pas une idée plus ignoble que balayer . . . . sommes nous en droit de nier, je le demande, que Ronsard ait été de son temps réellement sérieux et sublime?«

Male ii, qui Ronsardum ultra modum nova assumpsisse demonstrare student, singulos tantum operum ejus locos recensuerunt imprimisque eos, in quibus Ronsard valde ultra modum excesserat. Complectuntur opera ejus volumina octo, nihilominus plerumque duo tantum loci laudantur, quorum unum afferre liceat, de quo pauca annotanda sunt; hic est (t. VII. p. 177.):

»Ah! que je suis marry que la Muse Françoise
»Ne peut dire ces mots comme fait la Gregeoise,
»Ocymore, dispotme, oligochronien«.

Quem locum non recte Nisard mihi explicasse videtur, quasi aegre ferret Ronsard, quod plus audere sibi non liceret »il regrettait de ne pouvoir oser plus«; argumentum est ipsius Ronsardi ad hunc locum adnotatio: »Ces mots grecs seront

trouvés tout nouveaux, mais d'autant que notre langue ne pauvait exprimer ma conception, j'ai été forcé d'en user qui signifient une vie de petite durée«. Propter ejusmodi locos rarissimos et singula verba de Ronsardi sermonis virtutibus ejusque de eo meritis perperam judicare non licet. Ditavit linguam Francogallicam imprimis magno cogitationum novarum numero (ut videbimus infra), ditavit eam assumendo verba eo tempore obsoleta, epitheta ornantia, imagines et figuras inducendo. Ceterum hoc quoque meritum Ronsardo est vindicandum — plerique attribuerunt Malherbio — ut unam et simplicem esse linguae naturam voluerit. In arte poetica ejus (t. VII) locum invenimus, qui dubitationem non reliquit, quin eam gloriam suo jure sibi possit vindicare: »Mais aujourd'hui, pour ce que notre France n'obéit qu'à un seul roi, nous sommes contraints, si nous voulons parvenir à quelque honneur de parler son langage«.

Non levissimum autem ejus de lingua Francogallica meritorum hoc est, quod eam validam, dignam, sublimem, copiosam reddidit. Quocirca nemo non assentiet Philarèto Chaslesio de Ronsardi sermone ita judicanti: »on admire chez lui une perfection de langage bien étonnante dans un poète, qui n'avait pour prédécesseur que Marot et son école«.

Et dolendum est, quod complures linguae Francogallicae laudes Ronsardo debitae Malherbii commutatione evanuerunt. Quod non ignorabant Fénélon aliique saec. XVII et XVIII scriptores egregii, qui nonnulla nova inducendo satisfacere studebant, querentibus, quod per Malherbium magis ad inopiam lingua Francogallica redacta esset. Imprimis vero schola romantica, quae vocatur, multa verba a Malherbio ut humilia inutiliaque defamata iterum assumpsit.

Non minus vero, quam de lingua Francogallica meritus est Ronsard de arte metrica. Primum quidem versum Alexandrinum, quem vocant, jam saeculo XIII, et rarissime postea usurpatum, in poesim Francogallicam revocavit, quod metrum post Ronsardum factum est usitatissimum celeberrimumque. André Chenier, Victor Hugo, alii, quibus Racini et Boileavii

versus Alexandrinus nimis durus videbatur, Ronsardi versu Alexandrino usi sunt, id est, commutata caesura numerorumque jucunditate adaucta. Porro docuit et praecepto et exemplo, carmina ita esse conformanda, ut versibus, quorum ultimae syllabae cum accentu similiter caderent, succederent invicem, quorum syllabae paenultimae cum accentu similiter caderent (l'entrelacement), idque secundum poetae alius cujusdam exemplum: »A l'imitation de quelqu'un de ce temps, inquit, tu feras les vers masculins et féminins«. Si de fortune tuas composé les deux premiers masculins tu feras les deux autres féminins. t. VII. p. 320.

Carmen alterum, quod edidit, »l'hymne de France«, suppressit in posteris operum suorum editionibus, quia in eo illud praeceptum non observaverat.

Caesuris vario modo conformatis quid efficeretur, ei ignotum non fuisse, versus ostendunt:

»Une importante outrageuse tempeste
»Lui dénia sa promesse — et parjura«.

Alio loco:

»Elle (la fortune) allaite un chacun d'espérance —
et pourtant
»Sans être contenté, un chacun s'en va content«.

Assentietur unusquisque La Harpio dicenti: »Ce mot d'espérance formant césure au 5. pied coupe le vers de manière à produire une suspension, qui a un effet analogue à l'idée de l'espérance«.

Denique Ronsard de versuum harmonia, ut ita dicam, et multo ante Malherbium et Boileavium commendat illud »rimer difficilement«. Scribit ita: »Tu seras laborieux à corriger et limer tes vers et ne leur pardonneras non plus qu'un bon jardinier à son ante, quand il la voit chargée de branches inutiles«.. t. VII. p. 319. Quibus meritis id nobis addere liceat, quod St. Beuve Ronsardo ascribit, his verbis: »il imagina une grande variété de rythmes lyriques et construisit huit ou dix formes diverses de strophes, dont on chercherait vainement les modéles chez les poètes ses prédécesseurs«. Quae quum ita sint, nullum

esse poetam francogallicum mihi concedes, cui tot tantosque progressus debeat ars metrica, quantos Ronsardo.

Jam vero ad summam fere Ronsardi laudem pervenimus, quod ad egregia antiquorum praecipue autem Graecorum exemplaria suos adduxit, et sententiarum copiam usque ad illud tempus pauperrimam magnopere ditavit et amplificavit. Ab eo quasi novus rerum ordo nascitur, quippe quum posteris tot novas vias patefecerit, ut ad eum iterum iterumque postea recurrerent. Verum est quidem, eum magnam suam de carmine epico cogitationem ad effectum adducere non potuisse, verum est, etiam in odis suis saepe numero peccavisse: at nemo in controversiam vocabit gloriam ejus, quod novas vias suis ostenderit, quibus ipse primus ingressus est. Omnes poetae Francogallici illius aetatis, qua summum fastigium floris ascendit poesis, ejus humeris, ut ita dicam, innituntur, nihilque aliud fecerunt, quam quod ad affectum adducerunt, quod ipsi Ronsardo efficere non licuerat. Caeterum antiqui Ronsardum non solum novas poesis formas docuerunt, sed etiam hausit ille ex antiquitate magnam partem materiae, qua et novas et antiquas formas explevit. Magnum ex ea numerum novarum cogitationum, notionum universalium et veritatum assumpsit, quas antea ad id tempus poesis Francogallica non viderat. Nova erant ejus de Deo et religione, de patria et libertate cogitationes, quarum magna pars postero tempore simul cum eo interiit. Inter haec autem nova nihil gravius fuit, quam ejus de arte poetica sententia. Erant Ronsardi temporibus poetae multi, qui, ad carmen bonum perfectumque componendum, verba numero et versu inclusa sufficere putarent; unde multorum aliorum indoles poetica et ingenium cuique innatum esset deletum, nisi Ronsardi auctoritas docuisset, poetam nasci, non fieri. Multum ait, interesse inter poetam et versificatorem et quamvis multa discere posset ali-

1) 1555 Pasquier scripsit Ronsardo: „En bonne foi on ne vit jamais en la France telle foison de poètes comme celle que nous voyons aujourd'hui. Je crains qu'à la longue le peuple ne s'en lasse. Mais c'est un vice qui nous est propre, que soudain que nous voyons quelque chose succéder heureusement à quelqu'un, chacun veut être de sa partie“.

quis, artem poeticam doceri non posse. t. VI p. 311: »Tous ceux, qui escrivent en carmes tant doctes puissent-ils estre, ne sont pas poètes. Il y a autant de difference entre un poëte et un versificateur qu'entre un bidet et un genereux coursier de Naples. (t. III p. 19). Alio loco artem poeticam vocat »don venant de Dieu (t. VI p. 311). Sicut Horatius etiam Ronsard ex poesi recludendum esse vult mediocritatem, quemadmodum in carminis, Franciade, quod inscribitur, praefatione altera: »La mediocrité, inquit, est un extreme vice en la poesie; il vaudrait mieux ne s'en mesler jamais et apprendre un autre mestier (t. III. p. 32).

Restat, ut eam laudem praeclaram Ronsardi consideremus, qua meritus est de poesi Francogallica manifestum faciens ubique studium amoremque naturae, cujus intelligentiam simul cum amoenitatum ejus ardore frustra requiris apud Marotum, ejusque discipulos. Quod studium naturae sane non investigandum est in eclogis ejus, immo apparet ex permultis formis, figuris, speciebus a natura repetitis, nec minus ex carminibus quibusdam, quorum argumentum ex natura assumpsit, qualia sunt: »le pin«, »l'alouette«, »le rossignol« alia. Res quaedam in rerum natura conspicuae, bestiae, plantae ita eum commovent talesque nervorum sonos eliciunt, ut, etiam remotis aliis, quae indolem ejus poeticam produnt, absurdum videatur, si quis quaerat, num vere poeta fuerit Ronsard. Pro commentationis hujus angustiis, quum modus sit adhibendus, unum tantum locum laudo:

»Forest, haute maison des oiseaux bocagers!
»Plus le Cerf solitaire et les Chevreuls legers
»Ne paistront sous ton ombre, et ta verte criniere
»Plus du Soleil d'Esté ne rompra la lumiere.
»Plus l'amoureux Pasteur, sus un tronq adossé,
»Enflant son flageolet à quatre trous persé
»Ne dira plus l'ardeur de sa belle Janette;
»Tout deviendra muet, Echo sera sans vois;
»Tu deviendras campagne et en lieu de tes bois,
»Dont l'ombrage incertain lentement se remue,
»Tu sentiras le soc, le coutre et la charrue;

»Tu perdras et silence et haletans d'effroy

»Ny satyres ny Pans ne viendront plus chez toy«.

(Elegie XXX v. 27—40 Contre les Bucherons de la forest de Gastine. t. IV p. 347). Num forte recte disputat Bouterweck: »Es fehlte ihm eben so sehr an einer Empfänglichkeit für das Schöne der Natur als an Originalkraft zur Schöpfung des Schönen«.

Sed non propter ea solum, quae commemoravi merita, Ronsardo jus est vindicandum: quippe quum carmine finxerit et forma et argumento satis digna, quae ab oblivionis injuria asseramus. Libenter concedo, parvam tantum operum ejus octo volumina complectentium partem perfecta carmina nominanda esse, concedo etiam St. Beuvii carminum delectum complura carmina continere, quae legibus artis poeticae non satis respondeant: at non dubito, Ronsardum propter carmina sua vere perfecta, quamvis pauca sint, aliis poetis usque ad hoc tempus celebratis anteponere.

Liceat nobis pauca afferre, quibus, quomodo de Ronsardi arte poetica sit judicandum, quaque fuerit et fertilitate et varietate satis appareat. Sequimur editionem quam annis 1857—1867 vulgavit Blanchemain. Vol. I praeter nonnulla carmina, quibus Carolum IX ejusque amatam celebrat, et alia »chansons et madrigaux«, quae appellant, carmina continet tetradecasticha (sonnets), quibus cantat amatas suas Cassandre, Marie, Astrée, Hélène. Pro certo affirmari potest, Helenam de Surgeres ex officiorum comitibus regis matris fuisse eamque amore platonico, quem dicunt, Ronsardum Catharinae de Medicis morem gerentem cantavisse. Quod ob eam caussam commemoro, quia turpem ei amorem senilem injuria objecerunt ejus adversarii. In carminibus tetradecastichis permultis imitatur Petrarcam, sed multa invenies, quibus praecipuos antiquitatis poetas sibi exemplaria proposuit, imprimis vero Ovidium, Tibullum, Catullum, Propertium. Quae carmina virum doctum produnt. Ipsum Cassandrae nomen occasionem ei praebuit, ut vocabula graeca et fabulas mythologicas praeferret, quod carminibus ejus tetradecastichis non profuisse unusquisque videt.

Quocirca etiam aequales ei exprobrarunt, quod nimis esset obsecurus et ipse pollicitus est in carminibus suis tetradecastichis ad Mariam scriptis, se fore »plus simple et plus clair. Quam ob indulgentiam, quae tamen non ea est, ut haec carmina ab illis aliis valde differant, vituperatus est a compluribus amicis.

Injustissime judicat Vaultier de carminibus eroticis ejus (amours) »fatras à peu près continuel d'hyperboles extravagantes«, aeque injuste Bouterweck: »Man kann unter der ganzen Menge der Sonnette nicht leicht eins entdecken, das nicht durch die geschmacklosesten Auswüchse entstellt ist«. Sed ut ipse judices liceat afferre unum eorum carminum:

»Je plante en ta faveur cet arbre de Cybelle,
»Ce pin, où tes honneurs se liront tous les jours:
»J'ay gravé sur le tronc nos noms et nos amours,
»Qui croistront à l'envy de l'escorce nouvelle.
»Faunes, qui habitez ma terre paternelle,
»Qui menez sur le Loir vos danses et vos tours,
»Favorisez la plante et luy donnez secours,
»Que l'esté ne la brusle et l'hyver ne la gelle.
»Pasteur qui conduiras en ce lieu ton troupeau,
»Flageollant une eclogue en ton tuyau d'aveine,
»Attache tous les ans à cest arbre un tableau,
»Qui témoigne aux passans mes amours et ma peine,
»Puis, l'arrosant de laict et du sang d'un agneau,
»Dy: »Ce pin est sacré, c'est la plante d'Helene«.
(Sonnets pour Hel. VIII. t. I p. 321).

Jam ad alterum volumen transeamus continens odas, quibus magnam partem et gloriam suam apud aequales et posterorum contemptum debuit poeta. Sunt autem distinguendae eae, quibus imitatus est Pindarum, et quibus Anacreontem et Horatium imitandos sibi proposuit. Ignorat nemo, quam recte de Pindaro ejusque aemulatione judicaverit Horatius; quocirca haud dubie est aliqua excusatio, quod, qua in re nullus poeta fortuna est usus, id etiam Ronsardo non contigit. At ipsa haec difficultas a plerisque insuperabilis habita impellit Ronsardum, ut tentaret

eam superare. Ut uniuscujusque illius saeculi, sic etiam Ronsardi proprium fuit, ut, quid valeret, vellet ostendere et difficultates extrinsecus allatas sibi imponere. Idem studium in Baifi »vers mesurés« cernitur. Et notum est etiam aliis in artibus illo tempore simile quoddam factum esse. Opinionis errore finguntur domicilia magnifica, quae, ut re vera aedificarentur, fieri non poterat; rescribunt cantica vocum sonis numquam a canentium choro decantata [1]). Ceterum illa carmina, quibus Pindarum imitatus est poeta noster, studia erant juvenilia, quae postea omisit, ut Horatium et praecipue Anacreontem imitaretur. Neque vero assentiendum est iis, qui, quod Ronsardi sermo obscurus esset, ei exprobrarunt, quum non ipse sermo sit obscurus, sed ea quae fabulosa ex antiquorum mythologia attulit. Quum per multum tempus penitus se dedisset studio litterarum graecarum et latinarum atque adeo operum eorum, quae hodie ab iis tantum leguntur, ad quorum artem pertinet: in laudandis illis locis non multo labore ei opus erat, sed permagna eorum copia semper et ubique ei in promptu erat. Argumentum, quod odas ejus et hymnos obscura esse demonstrarent, repetiverunt inde, quod in opera ejus commentarii ampli et eruditi conscripti essent. Sed falso. Mos erat eo tempore usitatissimus isque ex antiquorum studiis ortus, ut in quemque fere poetam commentarios scriberent, non curantes, utrum opus esset necne. Quemadmodum Menage in epistola ad Colbertum conscripta summo honore poetam affici putat, cujus in opera commentarii scribantur, et paulo infra ex commentariis in poetas graecos et latinos conscriptis concludit, etiam in Malherbium, qui suae aetatis poetarum princeps haberetur, commentarios esse scribendos. (Les oeuvres de Fr. de Malherbe avec les observ. de Mr. Ménage, Paris, Barbou 1723, t. III.)

Jam ex ipsis commentariis in Ronsardi opera scriptis sequitur, eorum maximam partem non ideo esse scriptam, ut locorum obscurorum intelligentiam aperirent, sed quia ita erat usitatum. Loci multi laudantur, quibuscum, qui in textu sunt,

---

1) A. W. Ambros Geschichte der Musik. Breslau 1862. t. III.

comparantur; explicantur notiones pervulgatae, quae ad historiam, geographiam, rerum naturam spectant, quemadmodum exponunt, quid sit Rhenus, quid Tiberis, quid leo. Quod studium explicandi quemcunque locum, quodcunque verbum usque quo excedat modum, his ex locis intelligas: »sans ignorance = qui n'a point d'ignorance, qui sçait tout; la Bible = la Sainte Ecriture; En la Gaule = en la France. Elle est dite Gaule du mot grec *γάλα*, qui signifie du lait, par autant que ces peuples étaient et sont fort blancs.; le ris, chose puissante en la beauté d'une femme«. Marcassi, qui in hymnos commentarios conscripsit, in complures versus explicationes paginas maximas complectuntur; disserit alicubi de ortu mundi, de spiritu sancto, laudat de ejusmodi quaestionibus Cypriani, Origenis aliorum theologorum sententias.

Ex carminibus, quibus poeta imitatus est Anacreontem, unum adscribimus, quod, quali fuerit poeta ingenio haud dubie satius ostendat, quam ea quibus Pindarum aemulari studebat. Hoc est:

A Cassandre.

»Mignonne, allons voi si la Rose
»Qui ce matin avoit desclose
»Sa robe de pourpre au soleil
»A point perdu ceste vesprée
»Les plis de sa robe pourprée
»Et son teint au vostre pareil.
»Las! voyez comme en peu d'espace,
»Mignonne, elle a dessus la place,
»Las! Las! ses beautez laissé cheoir!
»O vrayment marastre Nature,
»Puis qu'une telle fleur ne dure
»Que du matin jusque au soir!
»Donc, si vous me croyez, mignonne,
»Tandis que vostre âge fleuronne
»En sa plus verte nouveauté,
»Cueillez, cueillez vostre jeunesse:

»Comme à ceste fleur, la vieillesse
»Fera ternir vostre beauté«.
(t. II p. 117).

Volumine tertio continentur carmen »Franciade« quod est inscriptum et »le bocage royal«. Pro aetate, qua Ronsardus vigebat, laus ei abjudicanda non est, quod, quamvis sicut alii poetae eadem in re finem propositum non sit assecutus, tamen omni cura contendit, ut carmine epico poesi Francogallicae prodesset. Neque obliviscendum est, quod fortasse longe maxima pars culpae rei infeliciter tentatae a Ronsardo in Carolum IX regem sit amovenda. Ejus enim et desideriis et sententiis non minime erat coercitus in scribendo carmine, eaque caussa est praecipua, cur carmen perfectum efficere non potuerit. Petivit enim a poeta rex, ne ullum majorum suorum praetermitteret. Eam ob caussam quam esset difficile, quod vellet efficere, poetam non ignorasse ostendit hic locus: t. III p. 8: »Virgile était plus heureux que moy, tellement que, n'estant chargé que de peu de rois et de Césars, ne devoit beaucoup allonger le papier, où j'ay le faix de soixante et trois rois sur les bras. Et si tu me dis, que d'un si grand nombre je ne devois eslire que les principaux, je te responds, que Charles (IX) etc. n'a voulu permettre que ses ayeulx fussent preferez les uns aux autres......«

Eidem in Carolum regem indulgentiae attribuendum est, quod hoc in carmine versu decasyllabo est usus, quum in fragmentis carminum epicorum ante et post illud conscriptis versum Alexandrinum usurparet et ipse scriberet:

»Si je n'ai commencé ma Franciade en vers Alexandrins, lesquels j'ay mis (comme tu sçais) en vogue et en honneur, il s'en faut prendre à ceux qui ont puissance de me commander et non à ma volonté. (t. VII p. 331).

Ad argumentum quod attinet, tantopere carminum epicorum naturam intellexit poeta, ut ab initiis historiae Francogallicae repeteret, ne, quominus libere suoque arbitrio fingeret, impediretur. Quum vero magis virorum doctorum quam vulgi laudem quaereret, usque eo processit, ut rerum fidem relinqueret; quo factum est, ut ipsi populo Francogallico carmen ejus probari

non posset. Ceterum refert Binet eum iterum iterumque opus suum prolivisse [1]), quo cernitur, eum non sibi indulsisse. In quatuor autem carminibus Franciadis, quae edita sunt a poeta, loci sunt permulti, quibus cernere licet, Ronsardum Homeri et Vergilii, exemplarium ejus praeclarissimorum, ingenium elegans et venustum et sensisse et animo recepisse, quamquam negari non potest, multa iis inesse vitia, quorum est gravissimum, quod non simplex et unum est carmen. Judicent alii, num forte poeta, nisi alius auctoritatem esset secutus, carmen epicum verum et perfectum fecisset; certum est, eum aliquid effecturum fuisse, quod magis laude nostra dignum esset.

Altera voluminis parte continetur »le bocage«. haec sunt carmina 31, quorum de argumentis poeta ipse nos docet versibus hisce:

»Ainsi dans ce Bocage on voit de toutes sortes
»D'arguments differents, comme tu les apportes
»O Muse! . . ..
»Stace entre les Romains nous en montra la voye
»Combien qu'il fust sans art, de fureur transporté,
»Beaucoup plus ampoullé que plein de majesté«.
t. III p. 264.

Simplicior hic est et dilucidior, quia minus antiquis nititur, quod ubique si fecisset suo ipsius ingenio confisus, carmina multo praestantiora eum fuisse facturum ostendit carmen unum, quod totum ipse invenit: Inscriptum est: »l'Equité des anciens Gaulois« Evolvas et legas ipse, quum satis sit dignum, quod ab oblivione vindicetur.

Vol. IV continet eclogas, elegias, alia carmina »chansons, mascarades et cartels« quae, quum omnia fere ad celebrandos dies festos in aula regia sint scripta, vix digna sunt commemoratione. Eclogae, quae sunt perpaucae, sunt meliores

---

1) Binet t. l.: „Il a changé, abbregé, allongé beaucoup de lieux et principalement de sa divine Franciade .. voulant toujours tirer au but de perfection“. et a l.

neque carent locis versibusque satis venustis. Eclogam alteram vero inter optima carmina recensendum puto. Carmina elegiaca non universa tristitiam resipiunt, sed exemplum poetarum antiquorum secutus Ronsard notionem elegiae latius patere existimavit, qua de caussa injuria Goujet (Biblioth. franç. v. 12) »Ronsard confond, inquit, aussi l'epithalame, qui est un poème gai avec l'élegie, qui est un poème triste et plaintif«. Quarum elegiarum multae simplici et perspicuo sermone excellunt ita, ut, qui forte Ronsardi carmina selecta edere vellet, is non inepte illas eligeret. Ex optimis habeo »l'Amour oiseau«. t. IV. p. 302.

Vol. V Ronsardum hymnorum poetam invenimus, quos secundum Goujetum primus in poesim Francogallicam induxisse dicitur. Imitandum sibi sumpsit Homerum, imprimis vero Callimachum. Abundant haec carmina doctrina, fabulis mythologicis, philosophia christiana et pagana; quam caussam fuisse existimo, cur saec. XVI omnibus maxime probarentur, praecipue autem ille hymnus »l'hymne des quatre saisons«, qui inscribitur. De hymno alio quodam (Du ciel) ita Richelet, cujus sunt commentarii in poetam nostrum, judicat: »Qu'y-a-t il parmi les Grecs qui puisse égaler cest hymne: Il ne se peu rien dire du ciel ou du monde qui ne soit dans Hymne par abregé ... bref cest hymne est comme un sommaire du Timée de Platon et des 4 livres du ciel d'Aristote et de tout ce que les autres philosophes en ont écrit«.

Ceterum haud dubie hos propter hymnos vituperatus est poeta, quod carmina ejus referta essent doctrinis antiquorum et profanationibus. At notum est, quam proprium fuerit illius aetatis omnia miscere christiana et antiqua atque haec est caussa, car Ronsard Christum cum Hercule composuerit. Non ignoras, Samazarium valde probatum esse Leoni X papae propter carmen suum »de partu virginis«, quo in carmine poeta Proteum Christi incarnationem facit praedicere et Maria libros Sibyllos legens inducitur. Voluerunt illi homines, ut quodcunque artis opus aliquod antiquum prae se ferret et, animis nondum ad elegantiam formatis, omnium rerum erat conturbatio et confusio,

donec tempora erudita et elegantia ab inficetis separarunt veraque exemplaria constituerunt.

Vol. VI praeter carmina »gayetés« quae inscribuntur, et epigrammata continet carmina ad Mariam Stuart conscripta pleraque sunt didactica, quod ex ipsis titulis concludere potes: »les armes«, »le chat«, »exhortation pour la paix« alia. Si pro commentationis nostrae brevi spatio liceret, carmen »la promesse« quod poeta inscripsit ut optimum afferrem. Epigrammata sicut et illa carmina »gaietés« quae inscripta sunt, omnia fere aetate juvenili poeta composuit; paucis exceptis-exemplum est: l'alouette — commemoratione digna non sunt.

Restat, ut consideremus carmina voluminis VII »discours« quae vocantur eaque saepe aut silentio praetermittuntur aut leviter tractantur. Multum abest, ut omnia ea carmina vera artis opera habeam, at praecipue ex ipsis his carminibus demonstrari posse censeo, quam perverse de poeta nostro sit judicatum, quam severe vitia ejus sint investigata atque in falsum aucta, quam injuste de laudibus ejus et meritis taceatur. In eis carminibus enim cernitur, quantopere indoli poetae propriae obstiterit, quod aliis in poematis nimis alios est imitatus. Hic nihil illius imitationis molestae et velut timidae, apparet ex omnibus indoles ejus nativa et inventionis felicitas. Ab omni cupidine, doctus ut videatur, vacuus suas ipsius profert sententias et cogitationes, totum se tradens iis rebus, quas tractandas sibi proposuit easque summo cum amore complectens. Est in iis magna copia praeceptorum et adhortationum gravium benevolorumque. Cogitationes sunt sublimes, ingenuae, audaces; sermo integer et gravis, argumento accomodatus. Si verum est, quod contendit Schlegel, Corneillii sermonem plerumque sermonis Ronsardi indolem prae se ferre, hoc praecipue ad haec carmina referendum est.

In eo carmine, quod est de calamitatibus illius temporis (discours s. les misères de ce temps), describens, quam Francogalli conflictati sint illis bellis pro religionibus susceptis, exclamat: »t. VII. p. 14:

»Ce monstre arme le fils contre son propre pere,
»Et le frere (ô malheur!) arme contre son frere,
»La soeur contre la soeur, et les cousins germains
»Au sang de leurs cousins veulent tremper leurs mains;
»L'oncle hait son nepveu, le serviteur son maistre;
»La femme ne veut plus son mary recognoistre
»Les enfans sans raison disputent de la foy,
»Et tout à l'abandon va sans ordre et sans loy«.

eundem in modum iterum iterumque vehementer castigat bellum, laudibus extollit pacem ejusque bona; cf. t. VII. p. 16:

»O Dieu! qui de là haut nous envoyas ton Fils,
»Et la paix eternelle avecques nous tu fis,
»Donne, je te suppli', que ceste Royne mere
»Puisse de ces deux camps appaiser la colere;
»Donne que la fureur de la guerre barbare
»Aille bien loin de France au rivage Tartare;
»Donne que nos harnois de sang humain tachez
»Soient dans un magazin pour jamais attachez;
»Donne que mesme loy unisse nos provinces,
»Unissant pour jamais le vouloir de nos Princes«.

Priore hujus carminis parte admonet rerum scriptores, ut in posterorum usum illud bellum cruentum enarrantes a veritate ne unquam deflectant:

»O toy historien, qui d'encre non menteuse
»Escris de nostre temps l'histoire monstrueuse
»Raconte à nos enfants tout ce malheur fatal,
»Affin qu'on te lisant ils pleurent nostre mal,
»Et qu'ils prennent exemple aux pechez de leurs peres,
»De peur de ne tomber en pareilles miseres«.

Ipse pro suis viribus in eundem finem se contenturum esse profitetur:

»Madame, je serois ou de plomb ou du bois,
»Si moy que la nature a fait naistre François,
»Aux races à venir je ne contois la peine
»Et l'extréme malheur dont nostre France est pleine«.

Carmen »l'Institution pour l'adoleseence du roy très-chrestien

Charles IX. de ce nom«, quod inscripsit et prudenti consilio excellit et libertate, qua a principe flagitat, ut benigne et juste regnet, itaque pacem et concordiam servet et confirmet. Princeps esto populi sui veluti pater; ab eo amabitur, si amaverit illum. Tum is in regis adulatores invehitur: t. VII. p. 36:

»Mal-heureux sont les Rois qui fondent leur appuy
»Sur l'ayde d'un commis, qui par les yeux d'autruy
»Voyent l'estat du peuple, et oyent par l'oreille
»D'un flatteur mensonger qui leur conte merveille«

et paullo infra

»Ne souffrez prés de vous ne flateurs ne vanteurs;
»Fuyez ces plaisants fols qui ne sont que menteurs«.

Bossueti vel Massilioni memoriam referunt versus, t. VII. p. 36:

»Aussi pour estre Roy vous ne devez penser
»Vouloir comme un tyran vos subjets offenser.
»Car comme nostre corps vostre corps est de boue;
»Des petits et des grands la Fortune se joue;
»Tous les regnes mondains se font et se desfont,
»Au gré de la Fortune ils viennent et s'en vont«.

In carmine alio — »Remonstrance au peuple de France« — describit Hugenottos versibus hisce, t. VII. p. 60:

»Il faut pour rendre aussi les peuples estonnez,
»Discourir de Jacob et de predestinez,
»Avoir sainct Paul en bouche et le prendre à la lettre,
»Les oeuvres mespriser et haut-louer la foy.
»Voilà tout le sçavoir de vostre belle loy«.

At ne quis credat, partium studio ductum fuisse Ronsardum; contrarium ostendunt loci permulti, quibus suam ipsius partem aeque perstringit atque Hugenottos; afferam unum t. VII. p. 110:

»Je sçay que nos pasteurs ont souhaité la peau
»Plus qu'ils n'ont la santé de leur pauvre troupeau;
»Je sçay que des abbez la cuisine trop riche,
»A laissé du Seigneur tomber la vigne en friche«.

Laudat, quae laudanda sunt, quae vituperanda, vituperat, nulla nec hominum nec partium ratione habita. Quicunque sine ira et studio haec carmina legerit, confiteri debebit peccavisse

magnopere in Ronsardum, qui eum antiquorum vestigia semper et ubique pressisse contenderent. Neminem poetarum Francogallicorum ante Ronsardum cogitationes tam sublimes concepisse, haud multos paullo post eum tam libere dixisse, quis non intelligat? Ceterum iisdem in carminibus etiam poetam satiricum Ronsard se praebuit, singulique versus in carminibus ejus dispersi dolorem excitarent, quod satirae in modum Horatii scriptae, quas Binet[1]) commemorat, ad nos non pervenerunt. Praeter epitaphia, quae eodem volumine VII continentur, commemoranda est Aristophanis comoediae, Plutus qui inscribitur, versio Francogallica, cujus fragmentum unum exstat. Quae versio quum valde aequalibus sit probata, mirum videtur esse, quod poesim tragicam amplius non attigit; quod, qua de caussa fecerit, notum non est.

Quae omnia quum dubitationem non relinquant, quin Ronsard et de lingua et poesi Francogallica magnopere meritus sit, roget fortasse aliquis, quo sit factum, ut talem virum posteri et contemptu et oblivione obruerent; caussas afferam, quae hac in re summi momenti videntur esse.

Ingens illa admiratio, qua aequales Ronsardi opera exceperint, gaudio orta est, quod poetam cognoscebant eum, qui antiquis relictis novas suis easque sublimiores vias aperiret. Gloriabantur poeta, quem possent parem judicare Homero aliisque antiquitatis poetis egregiis, cujusque ingenium, ut Du Perroni verbis utar, ita esset excellens, ut ad omnia aptum factumque videretur. At judicabant ita aequales, non critici temporis insequentis, quippe qui nimio aequalium Ronsardi studio non commoti animum vacuum ad ejus opera afferent itaque poetae suum in historia litterarum locum tribuerent. Ipsa ea re, quod nimia laude aequales Ronsardum extulerant, fieri potuit, ut posteri in alteram partem ultra modum excedentes merita ejus imminuerent, idque eo facilius, quod poetae discipuli vitiis ejus

1) Binet l. c. Et c'était bien une de ses envies de peindre au vif les vices de notre temps, pour corriger les uns et épouvanter les autres de mal faire. Il m'en a montrées quelques-unes à l'Horatienne.

eum superaverant. Unde factum est, ut et discipulorum et totius plejadis, quae vocatur, vitiorum a Ronsardo rationem reposcerent. Alteram caussam invenimus in ratione, quà Malherbius egit in Ronsardum. Non ignorans, quid opus esset, ut primum in parnasso Francogallico locum acquireret, detractavit Ronsardum eumque gravissima primus inter omnes plaga percellit [1]). Frustra oppugnaverunt ei Regnier, Mlle Gournay alii Ronsardi sectatores. Malherbii auctoritate discipulorumque ejus numero in dies aucto conatus eorum infracti sunt. Tertiam caussam Boileavii judicium fuisse censeo: qui nimio suae aetatis amore captus priorum temporum conatus et studia vituperabat aut laudabat, prout Ludovici XIV. temporibus respondebant. Praeterea Boileau magis assentitus est Malherbio, quam suo stetit judicio, si quidem — quod ego addubito — Ronsardi opera legit. Desiderare autem potest nemo, ne oblivio Ronsardi memoriam deleat, nisi qui auctoritatis Boileavii vim non cognoverit. Secuti sunt plerique critici illud Nisardi: »Boileau a prononcé, il ne reste plus qu'à donner les motifs de ce jugement«. Nobis certe mirum videtur, quod omnes eundem in modum Boileavio sunt nisi; et quamvis injuste amicus ejus Racine contendat, Boileavium virum bonum esse, poeseos nihil intelligere [2]), caussae permultae nos debent adducere, ut judicium ejus diligenter examinemus et in assentiendo cautionem adhibeamus.

Nituntur magnopere, ut Malherbium lumen praeclarum vindicent, eumque in detrimentum Regnieri, Desportesii, Bertauti, praecipue vero Ronsardi laudant. De Malherbio recte judicantes

---

1) Balzac lettres, VI, 17: „Est ce tout de bon que vous parlez de Ronsard et que vous le traitez de grand, ou si c'est seulement par modestie et pour opposer sa graudeur à notre ténuité. Pour moi je ne l'estime grand que dans le sens de ce vieux proverbe: Magnus liber, magnum malum. Il faudrait que M. Malherbe, M. de Grasse et vous fussiez de petits poêtes, si celui-là peut passer pour grand".

2) Fr. v. Schlegel, Vorles. üb. d. Litteratur. „So kann ich nicht umhin, dem Racine beizustimmen, wenn er von Boileau, der übrigens sein Freund war, an seinen Sohn schreibt: „Boileau sei ein recht biederer Mann, von der Poesie verstehe er herzlich wenig".

putamus aliquid afferre ad judicium Ronsardi illustrandum, qua de caussa a re alienum esse non videtur, pauca de illo adnotare, quae in eum finem mihi idonea sunt visa. Malherbii sermo haud dubie magnas laudes habet; est purus, pressus et integer, at, ut jam supra commemoravimus; ipse Malherbe plurimum attulit, ut sermo locuples et copiosus, qualis Ronsardi fuerat ad magnam inopiam redigeretur. Etiam praedicator Malherbii concedet, cogitationum orbem, quem in carminibus suis explicet, angustum esse et pauperem. Carmina ejus fere omnia ex occasione sunt facta, idque vitiose, quum aut essent mandata aut scriberentur ad honorem quendam assequendum, non excitata impulso quodam poetico; quaque cogitatione reclusa, qua fautor possit offendi, nusquam invenitur volucer animi motus, qui poetam verum a vulgo secernit. Nihil in eo inest ingenii, nulla est vis imaginationis, nullus denique vigor. Quae omnia nullius momenti esse putat, modo sermonis numerus opportune cadat, modo concinnus sit sermo et nitidus. Ita solius formae habet rationem, quum Ronsard simul et forma et argumento lectorum animos commovere studeat. Raro in ejus carminibus invenies, quod bonum carmen possit depravare, neque vero eas laudes deteges, quibus bonum carmen insigne esse volumus. Conferentes Malherbium poetam cum Ronsardo assentiemur Monnardo dicenti, in una Ronsardi carminum pagina plus inesse poeseos, quam in omnibus operibus Malherbii. Quum Ronsard Latinis praeferret Graecos et praeter Horatium et Vergilium Pindarum et Homerum praecipua sua exemplaria profiteretur, qui quid valerent non ignorans, Malherbe Graecos Latinis habuit inferiores, neque — quod forte putaveris — Vergilium Homero, sed Homero et Vergilio Statium praeposuit. Poetam tam languidum suisque commodis omnia metientem Petrarcae venustatem et elegantiam non sensisse pro certo possemus concludere, etiamsi non esset traditum, eum illum poetam minimi aestimavisse. Ingenium in eo non fuisse, argumenta sunt multa, quibus potest demonstrari. Versus funebres (vers funèbres) in mortem nobilis cujusdam mulieris (Mme de Chatillard) novem annis post ejus mortem finiti sunt, quum conjux jam alterum matrimonium

contraxisset, qua re, ut ridicula fere severitate Colletet adnotat, carminis jucunditas non leve cepit detrimentum. Computatum est, eum quotannis in universum versus quinquaginta tantum fecisse, quorum pars satis parva — quod etiam laudatores ejus concedunt — laude est digna. Quemadmodum Laur (Malherbe. Heidelberg 1869) in judicando Malherbio sola octo carmina, quae ediderit ille, consideranda esse, ait, non cetera. Quis vero etiam haec octo carmina, postquam legerit perfecta esse putabit? In fine liceat mihi afferre locum, qui est apud Racanum, eoque satis elucebit, quid de Malherbio poeta sit judicandum. Haec ejus verba (Malherbe oeuvres. ed. c. I. p. 31): »Il avait un grand mépris pour les sciences particulierement pour celles qui ne servent qu'aux plaisirs des yeux et des oreilles, comme la Peinture la Musique et même la Poësie; sur quoi Bordier se plaignant à lui, qu'il n'y avait des recompenses, que pour ceux qui servoient le Roi dans les armées et dans les affaires et qu'on abandonnait ceux qui excellaient dans les belles Lettres; il répondit que c'était en user fort sagement, et qu'il y avait de la sottise de faire un métier de la Poësie . . . et qu'un bon Poëte n'était pas plus utile à l'Etat qu'un bon oueur de quilles«.

Jam vero ad Ronsardum nostrum redeuntes paucis de vita ejus adnotatis examinemus, quomodo de moribus ejus judicandum sit. Petrus Ronsardus (Pierre de Ronsard) natus est die XI mensis Septembris in arce la Poissonière vel Possonière (non Puisonnière) ditionis Vindocinorum. De die natali poetae nostri cur multum disceptatum sit, ea est caussa, quod usque ad a. 1564 anni initium erat dies 25 mensis Martii; quo factum est, ut pro certo confirmari non possit, num Ronsardi aequales, qui ejus mentionem faciunt, normam priorem aut novam secuti sint. Constat Ronsardum eodem esse natum anno [1]), quo facta est pugna apud Papiam, non vero eodem die quod recentiores voluerunt. Gens Ronsardiorum (de Ronsard, Ronsart, Roussart) florebat generis antiquitate. Etiam mater Ronsardi nobili loco

---

1) Uberius de ea re disputavit Baylius in libro „Dictionnaire historique“ quem inscripsit s. v. Ronsard.

nata e gente erat Chaudrierorum (Chaudrier, ita, non Chandrier est scribendum). Usque ad annum nonum suae aetatis poeta noster in patris domo est eruditus; deinde traditus est scholae »Collége de Navarre« quae vocabatur; quam »plagosi praeceptoris morositate a studiis abalienatus« (Boissardus, Icones) post dimidiam anni partem reliquit. Tum vero, per breve tempus puer nobilis a Caroli ducis Genabensis ministerio quum fuerat, cum Jacobo, Scotiae rege profectus est in Scotiam. In Scotia erat annos duos et semestre, in Britannia semestre. In Francogalliam reversus iterum erat ex ministris ducis Genabensis. Postquam deinde ducis jussu iter alterum fecerat in Flandriam et Scotiam, quo in itinere vix e naufragio vitam servavit, XVI annos natus, id est anno XL illius saeculi comes est adjunctus Lazario de Baif, legato Francogallico, in ejus in Germaniam itinere. Non autem comitatus est eum in conventum imperii Germanici Spirense, quod St. Beuve, alii tradiderunt; qui conventus erat anno i. s. quadragesimo altero, quo tempore Ronsard in Francogalliam reverterat. Deinde virum nobilem — Guillaume de Langey — in Italiam est comitatus. Anno XLI invenimus eum in aula regia Blesensia, ubi Cassandram cognovit. Aurium gravitate illo tempore laborans ab aula regia recessit totumque se dedit studiis. Patre mortuo a. i. s. XLV contulit se ad virum doctum quendam Doratum, quo praeceptore per septem annos operam dedit linguae Graecae et Latinae. Tandum a. i. s. XLIX edidit carmen »l'Epithalame d'Antoine de Bourbon et de Jeanne de Navarre« quod inscribitur, paullo post hymnum in Francogalliam (l'hymne de France) anno quinquagesimo quatuor primos odarum libros. Quae carmina Maroti discipuli vehementer insectati sunt, qui Ronsardi gloriam in Henrici II. aula in dies magis crescentem delere studebant. Sed Margaretha, Henrici II. soror tam feliciter defendit poetam, ut is ipse regi maxime probaretur. Etiam L'Hospital, regis cancellarius, lingua Latina scripsit elegiam, qua contra adversarios poetam nostrum tuebatur. Deinde auctore Guilielmo des Autels St. Gelasius reconciliatus est Ronsardo, quo facto hic in locum versuum contra Mellinum scriptorum alios supposuit, eumque postea nonnisi cum laude in scriptis

suis commemorat. Eo tempore confirmata erat Ronsardi ejusque scholae auctoritas ita, ut, quamvis benevolos in poetam nostrum Henricus II. et Franciscus II. reges se praestitissent, tamen eorum successor Carolus IX. eos superaret. Qui Ronsardum non solum beneficio annuo et vectigalibus ex abbatiis coenobiisque redeuntibus donavit, sed etiam partem domus regiae ei assignavit. Atque eo progressus est amicițiae, ut peteret a Ronsardo, scriberet satiras, quibus sua, i. e. regis vitia et stultitias castigaret. Habemus carmina duo, quae ad eam regis voluntatem referenda esse videntur; sunt: »la Dryade violée« et »la Truelle crossée« t. VIII. p. 139.

Post Caroli IX. mortem senex paralyticus, ab Henrico III. neglectus, in abbatiam suam (Croix Val en Vendomois) se recepit. Mortuus est die 27. mensis Decembris anno i. s. octogesimo quinto, vir sapiens idemque christianus. Brevi ante mortem carmina pia composuit.

Argumentis demonstraverunt multi Ronsardum non fuisse sacerdotem. Si fuisset, non negasset, quod fecit versibus, t. VII. p. 98:

»Or sus, mon frere en Christ, tu dis que je suis prestre?
»J'atteste l'Eternel que je le voudrois estre«.

At infiteri non potuit, ad munera inferiora se esse consecratum t. VII. p. 114:

»Mais quand je suis aux lieux où il faut faire voir
»D'un coeur devotieux l'office et le devoir,
»Lors je suis de l'Eglise une colonne ferme.
»D'un surpelis ondé les espaules je m'arme
»D'une hamusse le bras, d'une chappe le dos.

. . . .

»Je ne perds un moment des prieres divines
»Des la poincte du jour je m'en vais à matines;
»J'ay mon breviere au poing, je chante quelques fois,
»Mais c'est bien rarement, car j'ai mauvaise vois«.

Etiam Duperron narrat t. VII. p. 191: »Ce qui acheva de l'encourager à prendre l'habit et la profession ecclesiastique, à la quelle il y avait déjà long-temps que ses amis l'exhortoient«.

At verumne est, Ronsardum parochum praepositum fuisse vico, cui nomen est Availlé, quod Thuanus, Spondanus, Varillasius referunt? Contrarium contenderunt posteri, ostendere studentes, sacerdotem, quem Ronsardum fuisse putarent, fratrem ejus Carolum esse habendum. Tamen documentum quoddam a Rochambeavio[1]) investigatum confirmat, quod Thuanus narravit. Hoc in documento pactio inest composita a parocho Caletano et Petro Ronsardo, parocho vici, cui nomen est Availlé. Caeterum, etiamsi hoc documentum non exstaret, cur auctoribus illis luculentis fides sit abroganda, non video. Secundum jus canonicum, qui non erat sacerdos, ei tamen licebat esse parochum, quo, quod Thuanus, Spondanus, Varillasius tradunt, satis confirmatur. Ipse Ronsard non parochum, sed sacerdotem se esse negat.

Ut hac in re, sic etiam in eo Thuanum aliosque S. XVI rerum scriptores erravisse putaverunt narrantes, eum contra Hugenottos cepisse arma. At locus, qui apud ipsum Ronsardum legitur, eam rem satis confirmat, t. VII. p. 70:

»Nagueres le bon Dieu me sauva de leurs mains,
»Apres m'avoir tiré cinq coups de harquebuse,
»Encore il n'a voulu perdre ma pauvre muse«.

quem locum praetervidisse videntur, qui aliter tradunt.

Ad Ronsardi mores quod attinet jam supra memoravimus, de iis aeque perperam et injuste judicatum esse et adhuc judicari atque de laudibus, quas habet suo jure in emendanda lingua et poesi Francogallica. Jam vivum Ronsardum adversarii acerbissimis iisque ridiculis calumniis obruerunt, surdum esse sacerdotem, paganum non Christianum, quae opprobria, quamvis sint falsa, etiam hodie in libris leguntur. Paganum eum fuisse, ut demonstrarent, commemoraverunt factum quoddam, quod Arnd, accuratiorem ipsius Ronsardi narrationem non curans, tradit ita (p. 223): »Jodelle's Freunde waren von diesem Versuch, das Alterthum auf die französische Bühne zu verpflanzen, so entzückt, dass sie, wie man erzählt, nach Art der Griechen

1) A. de Rochambeau, La famille de Ronsart. Paris 1868. p. 321.

ein Dankopfer mit Beobachtung aller heidnischen Gebräuche anstellten, einen Bock tödteten, sich mit dessen Blute besprengten u. s. w., eine Festlichkeit, die sie aber wohlweislich im Stillen und unter sich begingen, da ihnen ein öffentliches Auftreten der Art eine ernstliche Verfolgung von Seiten der geistlichen und weltlichen Obrigkeit zugezogen haben würde«. At res haec est: Nonnulli eorum, qui Plejadis erant, propter laudem, qua Jodellii tragoedia erat probata, diem festum celebrantes hircum, cui forte in vico occurrerant, sertis redimitum ad Jodellium duxerunt, quia apud Graecos hircus erat pretium tragoediae:

»Puis il fut rejetté pour chose mesprisée,
»Apres qu'il eut servy d'une longue risée«.

cf. Binet, vita Ronsardi, et Ronsard t. VII. p. 111. Sed non injuria Boileau poetae exprobravisse videtur, quod nimis se efferret et de se ipso praedicaret, praesertim quum niti velis singulis locis, quibus re vera Ronsard se ipsum laudat. Nisard dicens: »rien n'est plus mérité que l'épithète de poète orgeuilleux que lui inflige Boileau«, hanc sui ipsius laudem mediocritatem putat ostendere in Ronsardo, in Malherbio, cui idem, quod Ronsardo majore jure exprobrandum est, pulcram et justam esse contendit. Ronsardi laus propria nititur dignitate, qua quemcunque artificem ars sua ornat; sequitur ea in laude Horatium, Vergilium, Ovidium, Pindarum, et quasi decere putat, poetam lyricum insurgentem sibi ipsi coronam imponere. Ceterum se ipse defendit Ronsard contra illud opprobrium, t. II. p. 12: »Il ne faut aussi que le volage lecteur me blasme de trop me louer: car s'il n'a autre argument pour médire que ce poinct là ou mon orthographe, tant s'en faut que je prenne garde à tel ignorant, que ce me sera plaisir de l'ouir japper et caqueter, ayant pour ma defence l'exemple de tous les poëtes grecs et latins«, et saepenumero moderate de se loquitur; laudo locum, quo profitetur multa in arte sua desiderari, t. VI. p. 313:

„Mais me voyant sans plus icy demy-poëte
„Un mestier moins divin que le mien je souhaitte".

Praeterea in alios poetas, aemulos suos, summa erat justitia neque in eorum detrimentum suam gloriam augere studebat: »tu converseras« inquit, doucement et honnestement avec les poëtes de ton temps; tu honoreres les plus vieux comme tes peres, tes pareils comme tes freres, les moindres comme tes enfants«. t. VII p. 319.

Quid vero de Malherbio dicam? Nolo ei crimini dare, quod etiam saepius quam Ronsardus de se praedicat, immo defendo iisdem de caussis, quibus apud Ronsardum. At nunquam moderate de se loquitur Malherbe, est importunus et difficilis in aemulos suos. cf. Laur l. c. p. 18. Racan, la vie de Malherbe in »les oeuvres de Malherbe 1723« t. I. p. 21.

Concluserunt paucis ex locis, Ronsardum fuisse adulatorem. At qui Ronsardi mores cognoverit ejusque opera legerit, nihil minus moribus ejus convenire videbit quam adulationem. Satis est versus, quos ad Henricum III scripsit, afferre: t. III p. 283.

»Je ne suis courtizan ny vendeur de fumées
»Je n'ay d'ambition les veines allumées
»Je ne sçaurois mentir, je ne puis embrasser
»Genoux, ny baiser mains, ny suivre, ny presser,
»Adorer, bonneter, je suis trop fantastique;
»Mon humeur d'escolier, ma liberté rustique,
»Me devroit excuser . . .
»C'est à vous, mon grand prince, à supporter ma faute
»Et me louer d'avoir l'ame superbe et haute,
»Et l'esprit non servil«. . . . .

Recordemur, quo animo libero dicat, quod sentiat, homines et partes non curans, quam libere ipsis regibus, fautoribus suis sua vitia objiciat. Ipse contra opprobrium servilis adulationis se defendit verbis hisce t. II p. 12 »Certes je m'asseure que tels debonnaires lecteurs ne me blameront, moy de me louer quelquefois modestement, ny aussi de trop hautement celebrer les honneurs des hommes favorisez par mes vers: car, outre que ma boutique n'est chargée d'autres drogues que de louanges et d'honneurs, c'est le vray but d'un poëte lyrique de celebrer jusques à l'extremité celuy qu'il entreprend de louer«. Sint

multa, quibus comparari possit Ronsard cum Opitzio; adulator, qui fuit Opitz, Ronsardus non est.

Negare non possumus, Ronsardum carmina obscoena scripsisse. At praetervidendum non est, ea a juvene esse composita et pauca esse. Etiam suppressit ea in editionibus insequentibus, idque, ut complures volunt, nimia anxietate, quemadmodum Baillet dicit. (Jugements des savants Amsterdam 1725) »Non content de pourvoir à la seureté de sa conscience pour l'avenir, il songeait encore à l'expiation du passé par la suppression de plusieurs productions entières de sa jeunesse et le retranchement de tous les endroits qu'il n'approuvait pas dans ses pièces dont le fonds n'était entièrement mauvais«.

Ronsard non is erat, ut, quum patria bellis illis pro religionibus susceptis jaceret, ad otium perfugeret, metuens, ne una aut altera parte victa detrimentum caperet. Non satis esse putans suis partibus et patriae non nocere, auctoritate sua et operibus suis studuit suam sententiam ad victoriam adducere. Non praetulit labori et periculo securum otium, quod animo ejus et fidei et innocentiae non conveniebat. At qui fidus est, audax et studio inflammatus recte faciendi, is fortasse durus est et injustus contra eos, qui aliter sentiunt. At quicunque opera ejus sine ira et studio legerit, is inveniet, etiam ab eo vitio eum fuisse liberum. Vidimus jam supra eum omnibus aliis rebus neglectis solum verum quaesivisse et suae ipsius partis vitia non minus acriter castigasse, quam adversiorum. Profitetur saepenumero, se neminem odisse et aegre ferre, quod patria miseriis et calamitatibus sit conflictata. Eodemque patriae amore ductus iterum iterumque adhortatur, ut pacem faciant. Hic liceat ejus ipsius verba afferre: t. VII p. 85 »attestant Dieu et les hommes, que jamais je n'eu desir n'y volonté d'offenser personne, de quelque qualité qu'elle soit«; t. III p. 364

»Hélas! De Foix, je voudrois volontiers
»Avoir dormi trois bons ans tous entiers:
»Je n'eusse veu, ô vengeance curagée!
»Par ses enfants la France saccagée;

. . . .

»Je n'eusse veu les hommes transportez
»De passion, faillir des deux costez
»Sans plus avoir la raison pour leur guide
»Comme un cheval qui gallope sans bride«.

Jam vero, si forte dubitet aliquis, num Ronsardi judicium integrum fuerit et aliorum de rebus sacris dogmata leniter tulerit, ejus in usum mones illud Odeti de Coligny, qui ad Hugenottorum partes transierat: t. VII p. 74.

»Je cognois un seigneur, las! qui les va suivant
(Duquel jusqu'à la mort je demourray servant.)
»Je sçay que le soleil ne void çà bas personne
»Qui ait le coeur si bon, la nature si bonne
»Plus amy de la vertu et tel je l'ay trouvé,
»L'ayant en mon besoin mille fois esprouvé;
»En larmes et en soupirs, Seigneur Dieu, je te prie
»De conserver son bien, son honneur et sa vie!

Immo, si ex ipsis Ronsardi operibus argumenta afferri non possent, tamen meae sententiae argumentum id esse censeo gravissimum, quod Thuanus, L'Hospitalius, alii illo tempore ab omnibus pariter laudati cum Ronsardo amicitia erant conjuncti. Horum virorum in Ronsardum amore et studio nullum argumentum est gravius

Quod saepius acriter commovetur, caussa est dignitas et gravitas rerum, pro quibus pugnat, nec minus calumniae, quibus adversarii ejus vehementissime eum castigant. Novimus in historia nullum, quem acrius aggressi et calumniati sint, quam Ronsardum; et errare, qui putant, Ronsardi opera adversarios non vituperasse, ostendunt loci hi:

»Il ne décélera que tu vends comme autheur
»Les oeuvres dont tu n'es q'u affamé traducteur.
(Remonstrance à Pierre de Ronsard)

»Et par les vers presitreux qui vallent moings
»Que les vers faictz d'un nouveau apprentif.
(Conversion de Pierre de Ronsard).

In fine, quae maxime in Ronsardi moribus insignia sunt, complectentes eum summo amore patriae et justitiae, animo forti et

innocenti, in benefactores suos grato, studioso in hominum salutem fuisse, has summas ejus laudes esse putamus. Et sane haec morum ejus descriptio contraria ei, quam apud plerosque criticos invenimus; at spero, tandem eo nos venisse, ut de Ronsardo et homine et poeta aequius judicare velimus.